



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXXIII. De Iudaeis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

prædictorum, taliter de hæresi infectos, infamatos aut suspectos incarcerare, captiuare aut detinere debeant & teneantur. Et si tales se prætenderent in sacris ordinibus constitutos, nobisque ac nostris suffraganeis, archidiaconis, vicariis, & eorundem officiis, ac hæreticæ prauitatis inquisitoribus deputatis, pro nunc autem in nostra prouincia postea deputandis, tradant & assignent taliter denuntiatos & suspectos, vt pro extirpatione tam periculosi criminis libere procedant & procedi faciant iuxta canonicas sanctiones. Receptores quoque, fautores & defensores eorundem, pœnis, vt præmittitur, volumus subiacere. Et quia tales infecti, infamati & suspecti de erroribus supradictis, vt plurimum per simulatam conuersionem, ad vnitatem ecclesiæ redeunt fraudulenter, sacro approbante Concilio ordinamus, vt vltra pœnas talibus post conuersionem ipsorum & errorum abiurationem a iure inflictas, per annum, postquam abiurauerint, carceribus mancipentur, nec relaxentur ab eisdem, donec de vera & sincera ipsorum conuersione verisimiliter præsumatur. Adicientes, vt omnes & singuli nostri suffraganei ad extirpationem tanti mali viriliter assurgentes, omnia & singula iura contra hæreticos ac de hæresi suspectos & infamatos, contra ipsorum receptores, fautores & defensores, ac potestates sæculares, qui requisiti legitime, neglexerint sua dominia a prauitate hæretica extirpare, promulgata prouide exequantur & obseruent, & a suis subditis faciant inuiolabiliter obseruari, paterne, vt tenemur, in hoc ipsorum officium excitantes.

## XXXIII.

*De Iudæis.*

Non ambigui iuris est, Hebraicam gentem a fidelium crucifixi populo aliquo discretionis extrinsecæ signaculo debere esse separatam. Vnde, sanctæ memoriæ Guido titulo sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, in hanc nostram prouinciam a sacrosancta apostolica sede legatus, prouide decreuit, statuendo, vt Iudæi in publicum se exhibentes, pileum deferre debeant cornutum: non portantes pœna pecuniaria præcipimus multa puniri. Nos autem volentes prædicti legati bonam intentionem,

ANNO  
CHRISTI  
1410.anno  
1410.

ANNO  
CHRISTI  
1420.

nem, quantum in nobis est, effectui mancipare, omnibus sæcularibus potestatibus, cuiuscumque conditionis & præminentia existant, quocumque nomine censeantur, siue communitates, siue singulares reipublicæ præsidentes existant, sub excommunicationis sententia præcipimus, & districtè iniungimus, ut per se, vel per alios suos familiares, quemcumque Iudæum pileum talem in publico non deferentem pecuniaria pœna, iuxta eorum arbitratum taxanda, quacumque conditione, prouocatione vel excusatione friuola non obstante, protinus puniant.

Præcipimus etiam pro meliori huius prouidi statuti executionis effectu, ut prædictæ potestates per se vel per alios possint & debeant Iudæum sic pileum cornutum non portantem aliqua veste, vel alia re, publice & statim in itinere quo visus est, pignorari, ut sic eo citius pœnam exoluat antedictam. Et quoniam non tantum masculos Iudaicæ superstitioni inhærentes a Christiano populo conuenit separari, sed etiam eiusdem superstitionis feminas atque virgines a catholicorum gente volumus esse segregatas. Vnde præcipimus sub eisdem pœnarum exactioibus, ut mulieres vel virgines dictæ superstitioni insudantes, cum se in publicum exhibent Christianorum nostræ prouinciæ, nolam sonantem in aliqua sui corporis deferant parte: alioquin ipsas per dictas potestates pœnis & modis præscriptis in virtute sanctæ obedientia mandamus affligi.

XXXIV.

*De prohibito & illicito vestitu mulierum.*

Cum in partem sollicitudinis & pastoralis officii ad hoc sumus assumpti . . . . ., uti gregem dominicum rite gubernemus, & in eo vitia extirpemus, & virtutes inseramus, debemus non solum remouere peccata, sed etiam cuiuslibet mali & peccati speciem & imaginem, ac etiam scandalosum quodlibet & exempli continens perniciem, curabimus, quantum poterimus, prouincia exulare. Vnde (quod dolenter referimus) multorum querelis sumus excitati, ac etiam in parte nostris propriis percipimus oculis, quod in non-

*Concil. Tom. 29.*

T r c c